



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Concilivm Romanvm II. Qvo Damnato Berengario, Lanfrancvs sententiam
absolutionis retulit, anno ML. tempore Leonis papae IX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

ANNO
CHRISTI
1049.

veniens domum noster archiepiscopus non tacuisse probatur. De mulieribus statuit eamdem sententiam, quam predecessor eius memorabilis Alebrandus, & antea Libentius inchoauerant, ut scilicet fierent extra synagogam, & ciuitatem, ne male suada pellicum vicinia castos violaret obtutus. Hac Synodus facta est anno Domini 1049. ipse est archiepiscopi septimus. Et tunc maius altare tribunalis dedicatum est in honorem Genitricis Dei. De qua Synodo mentionem ideo feci, quod dominus Adelbertus eo tempore, quo tam clari homines in ecclesia fuerunt, sapientia ac virtutum merito fere omnes praezelluit: tantus apud papam, talis apud Casarem habebatur, ut de publicis rebus absque eius consilio nil ageretur. Hæc Adam.

Hac eadem Synodo intercessione pontificis aliorumque principum imperatori reconciliatus est Lotharingiæ dux Godefridus, de cuius animi magnitudine, bellica gloria, bellicisque contra imperatorem & ecclesiás nonnullas expeditionibus, tandemque de admirabili voluntaria poenitentia eiusdem plura Lambertus, quamquam in tempore grauiter aberret. Hac Synodo (inquit Chapeauilla in notis cap. i. tom. 2.) imperator quæstionem proposuit coram sancta Synodo de legenda sancti Seruatii Leodiensis episcopi, de gestis eius ac supputatione annorum: quæ omnia facta diligentि discussione, ut pie credenda, sunt synodali decreto confirmata. Ioannes Presbyter chronicus Gemblacensi.

CONCILIVM ROMANVM II.

ANNO
CHRISTI
1050.

QVO DAMNATO BERENGARIO, LANFRANCVS sententiam absolutionis retulit, anno M L. tempore Leonis papæ IX.

N O T A.

Tempus
Concilii.

^a *Concilium.*] Quo tempore ista Synodus Romæ celebrata fuerit, Hermannus Contractus in chronicō anno 1050. indicat breuiter his verbis: *Dominus papa post pascha Synodus item Romæ collegit.* Qua de causa celebratum, quidve in ea aëtum fuerit, ostendit Lanfrancus in commentario, quem contra Berengarium edidit, his verbis: *Tempore sancti Leonis papa delata est hæresis tua (alloquitur Berengarium ipsum) ad apostolicam sedem. Qui cum Synodo presideret, ac presideret secum non parua multitudo episcoporum, abbatum, diuersique ordinis et diuersis regionibus religiosarum personarum, iussum est in omni audiencia recitari quas mibi de corpore & sanguine Domini literas transmisi. Portitor quippe earum legatus tuus me in Nortmannia non reperto, tradidit eas quibusdam clericis. Quas cum legissent, & contra usitatis ecclesie fidem scriptas animaduertissent, zelo Dei accensi, quibusdam ad legendas eas porreverunt. Itaque factum est, ut non determinior de te quam de me fuerit exorta suspicio, ad quem videlicet tales literas destinaueris, putantibus multis, me souere ac fovere que a te diccerentur, vel gratia, qua te diligenterem, vel fide, quare reuera ita esse indub-*

ANNO
CHRISTI
1050.

tanter tenerem. Igitur cum a quodam Rhemensi clero Romam perlatas Berenga-
recitator legeret, intellecto quod Ioannem Scotum extolleret, Paschafium rius con-
damnares, communi de eucharistia fidei aduersa sentires, promulgata est demnatus,
in te damnationis sententia, priuans te communione sancte ecclesie, quam Lanfrancus
tupriuare sancta eius communione satagebas. Post hæc præcepit papa ut
absolutus.
surgerem, prævi rumoris a me maculam abstergerem, fidem meam expo-
nerem, expositam plus sacris auctoritatibus quam argumentis probarem.
Itaque surrexi: quod sensi dixi, quod dixi probavi: omnibus placuit: nulli
dispicuit. Haec tenus de Synodo Romana Lanfrancus, in qua damnato,
vt vidisti, Berengario, ipse Lanfrancus solutionis sententiæ retulit.

In hoc eodem Concilio contra Berengarium a Leone pontifice ce-
lebrato, idem pontifex decrevit pallium Dominico patriarchæ Ve-
neto, eidemque priuilegium concessit, vt crucem ante se deferret,
patriarchalemque sedem approbavit, & episcopis Venetiæ prouinciae & Istriæ scripsit, vt huic tamquam primati suo obedirent, eum-
que reuererentur. Hæc ex scripto chronicæ Andreae Danduli. Quæ
omnia renouata & confirmata ab Alexandro secundo in Concilio
Mantuano, idem auctor affirmat. Sicque plane translatus fuit pa-
triarchatus Gradensis in Venetum, qui haec tenus titulo Gradensis
sedis potitus erat.

CONCILIVM VERCELLENSE
CONTRA BERENGARIVM, ET PRO LANFRANCO
celebratum anno Domini M.L. tempore Leonis papæ
IX.

N O T A .

* *Concilium.]* Quæ in hac Synodo contra Berengarium aititata fue-
rint, in prædicto commentario Lanfranci contra eumdem Berenga-
rium his verbis recensentur: *Dehinc declarata est Synodus Vercellensis,*
qua tunc proximo Septembri, eodem presidente pontifice, est celebrata Ver-
cellis, ad quam vocatus non venisti. Ego vero præcepto & precibus prefati
pontificis usque ad ipsam Synodum secum remansi. In qua in audiencia
omnium, qui de diuersis huius mundi partibus illuc conuenerant, Ioannis
Scoti liber de eucharistia lectus est ac damnatus: sententia tua exposita ac
damnata, fides sanctæ ecclesie, quam ego teneo, & tenendam adstruo, audi-
ta, & concordi omnium sensu confirmata. Duo clerici, qui legatos tuos se
esse dixerunt, volentes te defendere, in primo statim auditu defecerunt, &
capti sunt. Ab hac sententia nunquam discessit sanctus Leo in omnibus suis
Conciliis, seu quibus ipse presentiam suam exhibuit, seu que per legatos suos
in diuersis prouinciis congregari instituit. Quæ sententia non effugit successo-
rem quoque suum felicis memoria papam Victorem. Hucusque Lan-
francus de Synodo Vercellensi; cuius meminit etiam Guitmundus
in commentario, quem scripsit de corpore & sanguine Christi, ei-
demque præfuisse Leonem pontificem tradit.

A a a iij